

Fragment of text from the adjacent page, including Roman numerals:
III
IIII
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII



ADAMI THEO-
DORI SIBERI

Αντιδομῆνός,

Quae sunt

PRECES AD DEVM OPT.
MAX. VT AD MELIORA CONVER-
fis veniam nobis tribuat peccatorum,
& furores Turcicos ab Ecclesia & Re-
publica nominis sui ergò clemen-
ter ac potenter defendat
& avertat.



VVITEBERGÆ

Excudebat Vidua Matthæi

VVelaci, Anno M. D. XCIII.



D^{NO}
OLIGERO ROSENKRANTZ
GEORGII, V. Amplissimi F. inter nobiles doctissi-
mo & inter doctos nobilissimo
juueni, Dano S.

OLIGERE iubar novum & coruscum
Claræ nobilitatis & vetustæ,
Præ quo non fat amant suos ocellos
Quot sunt cunque Heliconiæ sorores,
Quotquot Socraticæq; sunt sorores,
Et (sem incredibilem, & piam & stupendâ)
Quot sunt cunque Sioniæ sorores:
Hanc sis suscipias breuem camœnam,
Nec rudem nimis, ut reor, camœnam,
Ore, ceu solitus, sereniore;
Miq; amicitiae fores recludas,
Quæ semper patuere, quimodò istum
(In queis assero me loco supremo)
Te talem ex animo æstimant, amantq;
Sic vestigia per patris profectus,
Quo nil Cimbrica maius ora iactat,
Nil prudentius, eruditius nil
Doctis auspiciis, tui Cramerii,
Texas nobilibus rosis & ipse
Piam, magnanimam, catam coronam.

Adamus Th. Adamii
F. Siberus.

Dile Deum (nam tu verum unus flectis
habenas,
Imperioq; pari populumq; patresq;
coerces)

Mundi mens aeterna, nec ulli effabile numen;
Has sordes, hos & lacerato pectore fletus
Rumpentes, atque haec acri damnata dolore
Vota precesq; humiles placido bonus accipe vultu,
Quodq; potes fer opem felix, aquilasq; secunda.
Cernis, ut obscura vix notus origine terra,
Ipsisq; emersus magalibus, undique signa
Extulerit, crudisq; orbem concusserit armis,
Atque Asia, atque oriens qua latis emicat oris,
Abdalides, castrisq; dies noctesq; fatigans
Europam penetrare audax pertenderit ipsam,
Nec prius abstiterit, domine quam moenia Romae
Aemula capta daret, Pelopeiaq; arva teneret.
Quin & Paonios numeroso milite campos
Insedit tumidus sceptro atque insignibus aureis:
Et nunc ille animis torrens plenusq; pharetris
Tartareis accensa odiis vaga praelia miscet,
Belli mole premens inopes, & limine in ipso
Teutonia furit, & flammis ac fulminat ense.

A 2 Hen

Heu quantum ferus, heu quantum dedit ille malorum!
An memorem vastis cumulata cadauera campis
Alitibusq³, ferisq³ escam porrecta cruentis,
Et decurrentes humano sanguine riuos?
An magis euinctos post libera terga lacertos
Infantes, pueros, iuuenesq³ ante ora parentum
Sub iuga seruitii (dictu lacrumabile) missos?
Innupti temerata loquar quid iura pudoris,
Et matronarum labes? quid funera templis
Illata, atque inuis versa oppida fundamentis,
Conquassata modis aut propugnacula fœdis,
Mistaq³ barbarico fanda atque infanda tumultu?
Scilicet hanc scelerum meruere piacula pœnam,
Hanc nostrum meruere patres, meruere minores,
Quæq³ animos hodie cunctorum incessit Erinnyis.
Principio ieiuna tui fastidia verbi,
Et despreta sacro mysteria sancta cui non
Pressa iacent pedibus? cui non ludusq³ iocusq³
Quæ legatorum es, quæ vatumq³ ore locutus?
Hinc neglectus honos legum, morumq³ bonorum,
Et pietas benesuada & virtus prisca recessit,
Iustitiæq³ solum vestigia nuda reliquit. (dat
Nullus amor: miseransq³ inopem manus alma reclu-
Ara

*Æra nec exigua stipis, excipiatq; sepulcro
Frigeſcentem animam, & natis nuptaq; redonet.
Quin imò fulvi ſitis importuna metalli
Per fas atq; nefas, perq; in via ſaxa nivesq;
Nocte dieq; avidam miſerorum ſanguine gaudet
Expleſſe ingluviem, et nunquam exaturabile guttur.
At contra luxus effrons pigra otia ſtertit
Lenæo vigilans tantum in ſanisq; lucernis:
Quem Paphii inſequitur ſcorti furioſa libido,
Furta adigens flammæ illicitæ, inceſtoſq; hymenæos.
Huc adde invidiam, rebusq; agreſcere ſalvis,
Faſtuſq; inſidiasq;, & crimina conſcia falſi,
Impacata odia, & lites pugnaſq; prophanas.
Ne multa: ſclerum contagia publica rerum,
Privaq; deplorato afflixere omnia morbo:
Nec ſani quicquam ſuper eſt, quod acinace non ſit
Hoſti abſcindendum, aut urendum ſulfure flammæ.
Quam Phlegethonteis fornacibus æſtus anhelat.
At tu ſupplicibus Pater optime maxime parce,
Parce, neque irarum totas effunde quadrigas:
Da ſclera exoſis cor lætificabile curis,
Ipſum per te, perq; tuam miſiſſime prolem
Omne nefas aufer procul, atq; in carula vaſtæ*

Conde

Conde maris, penitusq; oblita mente revelle.
Da melioris iter vite, da munia sancta
Ignilustratos liquido septemplicis Aura
Sectari, cupidosq; piis insistere factis.
Nam quales quales sumus ipsi, nomine CHRISTI
Censemur tamen, & lymphis zephyroq; renati
Ætherio, te ter geminum veneramur & unum:
Quem scelus illud latronum execratur & odit,
In votis nec habet quicquam prius, undiq; toto
Christi adum penitus gentem quam tollere mundo.
In cuius sedem invadat violentibus ausis
Impietas Agarena, sacrisq; superbiat, orco
Quæ sternunt iter, & tetra caligine mersant.
Hanc defende, pater, nostris arisq; focusq;
Propugna cœtum fortis tua verba professum:
Fac superent, qui mente pia, linguaq; fideli
Corde tuo nulla natalis origine Nati
Augustum numenq; tremant, & nomen adorent.
Suffice militibus patria sacra signa secutis
Vires, effultumq; invicto robore pectus.
Torporem passim ducibus lentumq; veternum,
Excute, per q; sonent concordia classica regum:
Ut iunctis animisq; armisq; avertere certent.

Com.

Communem imperiis hostem, quæ nomine CHRISTI
Tractibus Europa cultis amplectitur orbis.
Aut Genium ultorem, tua quæ ter summe potestas,
Expedi, & ardentem castris immitte superbis.
Tempus enim nunc tempus adest: vis effera belli
Omnia vastantem mediâq; in strage furentem
Ne voti faciat felicem immanibus armis
Colluviem inuisam cælo, templisq; verendis.
Quicquid erit (nam posse accisis parcere rebus
Velleq; confidit te spes, & vota fatigant)
Et pia Religio tandem iura impia vincet
Thracia Teutonicosq; augebit Luna triumphos:
Ipsa tibi patriis latè Germania regnis
Jam melior, legumq; ardens edicta tueri,
Latitia plausuq; sacris operabitur aris,
Et tua sublimi tollet præconia cantu,
Ut tua didatur manifesto numine fama,
Quæ redit itq; dies, & secla perennia condat:
Tantum sis bonus armipotens animiq; benignus
Die Deum, & puris afflictos respice ab astris.

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

F. M. 1. 8.

ED

an

Post

Spce



Be 231

8

Di.

ULB Halle 3
002 690 756




56.

VD77







B.I.G.

Farbkarte #13


Inches
Centimetres

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

24.

XXIV.

26



ADAMI THEO-
DORI SIBERI

Αντιδομανικόρ,

Quæ sunt

PRECES AD DEVM OPT.
MAX. VT AD MELIORA CONVER-
fis veniam nobis tribuat peccatorum,
& furores Turcicos ab Ecclesia & Re-
publica nominis sui ergò clemen-
ter ac potenter defendat
& avertat.



VVITEBERGÆ
Excudebat Vidua Matthæi
VVelaci, Anno M. D. XCIII.

25.

